



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ad annum Christi 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118618**

Ad benevolum Lectorem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)



## Ad benevolum Lectorem.

**Q**uamvis Continuator noster in posterioribus suæ continuatæ Historiæ libris cuncta ferme documenta, atque antiquitatis venerandæ monumenta ingenti sedulitate collegerit, ut exactam eorum omnium, quæ Concilii Tridentini historiam concernunt, notitiam Lectoribus suis exhiberet, remque omnibus numeris absolutam perfecisset, si quandoque rejectis suspectorum Auctorum testimoniis juxta sanæ criseos præcepta probatæ fidei Scriptores consuluisset, eosque sibi proprios fecisset; nihilominus quædam haud contemnenda monumenta vel i-

plius solertiam effugerunt, vel studiose negligenda duxerat; cum autem laudandæ Lectorum meorum cupiditati, ac desiderio pro viribus plene satisfactum vellem, haud abs re fore censeui, si omiffas Historicæ eruditionis reliquias tam circa hoc argumentum, quam alia subinde occurrentia velut ex uberrima messe relictas spicas colligerem: has inter præprimis numeranda venit oratio, quam excellentissimus, ac meritorum gloria, generisque nobilitate longe clarissimus Vir Augustinus Baumgartnerus Juris Utriusque Doctor patria Monacensis, Alberti Serenissimi Bavaricæ Ducis Orator in generali sacrae Tridentinæ Synodi Congregatione sub Pio IV. summo Pontifice die vigesima septima Junii Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo secundo declamabat. Hæc anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, quin typi locus, aut Typographi nomen indicaretur, publicam lucem aspexit, unacum petitionibus Oratorum Cæsareæ Majestatis ad idem Concilium Tridentinum; cum autem præ-

præfata oratio nec in actis Concilio-  
rum, quæ Philippus Labbæus, Har-  
duinus, Pfalmæus & alii ediderunt, re-  
periatur, nec etiam illam Annales Boici  
a Joanne Adelzreiter editi referant,  
aliunde vero ex eadem haud obscure  
sincera Serenissimi hujus Ducis mens,  
suisque Majoribus hæreditario veluti  
jure innata, ac per tot sæcula in Sere-  
nissimos posteros propagata fidei Catho-  
licæ constantia eluceat, hocque pacto  
calumniantium licentia potenter con-  
fundatur, hinc eandem orationem prout  
in Conventus Augustani Bibliotheca  
Carmelitarum Discalceatorum asserva-  
tur, integra fide huic præfenti tomo  
præfigere statui, adjectis quibusdam  
annotationibus, per quas ex aliorum  
Scriptorum testimoniis Serenissimi hu-  
jus Principis fama, fidesque vindicetur.  
Equidem Historiæ veritas exigit, ut  
ingenue fateamur, quod jam anno Chri-  
sti millesimo quingentesimo quinquage-  
simo septimo hic idem illustrissimus  
Dux ob immodicam rebellis sui populi  
petulantiam communionem sub utraque  
specie permiserit; id enim præfatus

Bavariæ Historiographus in secunda parte suorum Annalium his verbis testabatur: „Cum a Bavaris pecunia ad „usus tum imperii, tum ipsius Principatus publicos, per Albertum exigetur; illi Austriacorum exemplo, a „Principe vicissim petiverunt, sibi ut „liceret, Sacrosanctam Evcharistiæ „communione[m] sub utraque specie usurpare. Cessit ad breve tempus subditorum importunitati Albertus, prius „tamen professus, se nihil ideo prorsus „in Majorum Religione novari velle, „neque id fore firmum, antequam sacrorum Antistites eam licentiam sua „auctoritate comprobassent. Id cum „illorum nemo faceret, sed magnopere „omnes factum averfarentur, mox Albertus jussit eum ritum publice, privatimque, tota provincia, constitutis „in prævaricatores pœnis abrogari.

Idem ferme testatum reliquit ipsemet Continuator in Historiæ suæ libro CLII. §. IV. tom. XLII, hanc in rem ita differens: „Hæc dum interea gerentur, Bavari idem, quod Austriaci „a Ferdinando petebant, ab Alberto „quo-

„quoque suo Duce extorquere niteban-  
„tur : Albertus igitur, cum pecuniis  
„egeret, haud difficilem se eorum po-  
„stulatis exhibuit, sed post leves quas-  
„dam sollicitationes suis ad tempus in-  
„dulsit, ut cœnam Domini sub utraque  
„specie sumere, ac diebus vetitis ur-  
„gente necessitate carnibus vesci pos-  
„sent, nec minus, quantum posset, se  
„curaturum sponndit, ut Episcopus  
„Salisburgensis hanc concessionem ap-  
„probet, eamque Magistratus confirmet:  
„cum vero hac sua indulgentia facile  
„in suspicionem trahi posset, perinde  
„ac si a Religione catholica deficere  
„paratus esset, hinc multis verbis pro-  
„fitebatur, quod nullatenus a Majorum  
„suorum Religione discedere, nec in cœ-  
„remoniis, aliisque ritibus quicquam  
„immutare velit, cum neque id sibi li-  
„citur foret, nisi supremus Magistratus  
„Ecclesiasticus id ipsum permetteret.  
„Istud diploma, quo hæc indulserat, fi-  
„deique suæ constantiam erat professus,  
„die ultima Martii promulgabatur.

Ex his vero, ac præprimis ex Adolz-  
reiteri testimonio comprobatum redditur,

quod Serenissimus Dux nonnisi a tumultuante suo populo per hæreticos concitato ad hanc indulgentiam adactus fuerit, ac nonnisi ad exiguum oppido tempus rerum iniquitati cedens novum Calicis usum toleraverit, ea apposita conditione, si hæc permissio a ditionis suæ Præsulibus rata haberetur: iis autem reclamantibus mox hanc suam concessionem revocaverit: *Id, inquit præfatus Scriptor, cum illorum nemo faceret, sed magnopere omnes factum detestarentur, mox Albertus iussit eum ritum publice, privatimque tota Provincia, constitutis in prævaricatores pœnis, abrogari: hinc minus veritati consonum videtur, quod Continuator Albertum pecuniarum desiderio veluti excæcatum haud difficulter populi sui precibus annuisse referat, his verbis: Albertus, cum pecuniis egeret, HAUD DIFFICILEM se eorum postulatis exhibuit, sed post LEVES quasdam sollicitationes suis ad tempus indulsit &c.*

Cum vero populi tumultus nondum sopirentur, atque ex ipsis hujus Provinciæ Proceribus non pauci essent,  
qui

qui opportunum reddendæ publicæ tranquillitatis medium in eo reponerent, ut calicis usus revocaretur, & pro tollenda Clericorum incontinentia cælibatus lex aboleretur, hinc Albertus utrumque articulum in Synodo per suum Oratorem proponi voluit, ubi etiam quinto post anno præfatus Jurium Doctor sequentem orationem habuit.

„Quando quidem Sanctissimus Dominus noster aliquoties perquam paternè, atque vos ipsi Reverendissimi, & Illustrissimi Sacri Concilii Tridentini Præfides etiam amice, ut ad celebrationem hujus tam Sancti, tamque necessarii instituti Legatos mitteret, illustrissimum, & Serenissimum Principem, Dominum Albertum Comitem Palatinum Rheni, superioris, inferiorisque Bavariæ Ducem &c. exhortati estis, sui muneris esse putavit, illustrissima sua Celsitudo, ne, cum Princeps sit catholicus, nihilque magis elaboret, quam salva ut sit catholica Religio nostra, tam necessario, tamque sacrosancto operi deesse videretur, decrevit

a 5

„sane



„sane Legatum suum ad Concilii nego-  
„tium opportunis mandatis instructum  
„ablegare: quod quidem jam ipso facto  
„præstans, ablegavit & misit præsen-  
„tem me illustrissimæ suæ Celsitudinis  
„servum cum plenissimo mandato,  
„ut suæ illustrissimæ celsitudinis nomi-  
„ne paucula quædam sacro Concilio  
„proponerem, & postea etiam ubi usus,  
„& opportunitas erit, tractarem, age-  
„rem, atque efficere curarem, quæ &  
„de honore sacri Concilii, & illustrissimæ  
„suæ Celsitudinis officio esse videantur.

„Principio igitur tam ipsis reveren-  
„dissimis, & illustrissimis Concilii Præ-  
„sidentibus, quam reliquis reverendissimis  
„Patribus plurimam, & devotissimam  
„affero illustrissimæ suæ Celsitudinis no-  
„mine salutem, amicitiam, ac benevo-  
„lentiam, & profecto summopere læta-  
„tur illustrissima sua Celsitudo, quod  
„sacrosancti hujus Tridentini Concilii  
„non modo auspiciatò initium factum  
„sit, sed etiam feliciter progredi actio-  
„nes ejus intelligantur, & quidem eo  
„modo, ut omnes pii merito queant fe-  
„licissimum eventum sperare. Quam-  
„quam

„quam vero, siquidem est secularis, at-  
„que idcirco illustrissimam suam Celsi-  
„tudinem minime decet in Concilio ali-  
„quid vel decernere, vel præscribere  
„in rebus spiritualibus, sed tamen secu-  
„larium Principum cum intersit vel in-  
„primis, ne quid authoritatis, quo mi-  
„nus fervens Concilii cursus procedat  
„feliciter, deesse videatur, eam tamen  
„ob causam me potissime misit Triden-  
„tum, quippe ut Concilium illustrissimæ  
„suæ Celsitudinis nomine cohonestem,  
„concelebrem, ac si fieri possit, adju-  
„vem etiam pro virili mea: hac tamen  
„habita ratione, ut meminerim illustris-  
„simam suam Celsitudinem esse secula-  
„rem, non spiritualem Principem, cujus  
„sit non dare, sed accipere Leges ab  
„Ecclesia. Hæc etenim quoniam pia  
„Materfamilias est, atque legitima divi-  
„narum rerum dispensatrix, solersque  
„& salutaris medica, cui nullum me-  
„dendi modum præscribere debemus,  
„sed morbum ostendere, & efficacem  
„sperare medicinam.

„Communes quidem Germaniæ  
„morbos procul dubio reverendissimis  
„sacri

„sacri Concilii Proceribus notos esse,  
„nec dubitandum existimat illustrissima  
„sua Celsitudo, quin etiam audierint,  
„quo in Statu Bavarico nunc catholi-  
„ca Religio versetur. Quandoquidem  
„enim aliæ provinciæ, quæ Bavoriam  
„circum quaque propemodum cingunt,  
„diversis sunt, variisque infectæ errori-  
„bus, eosque non sœvent modo apud se,  
„sed propugnant etiam pertinaciter,  
„propagantque, quoad fieri potest, sum-  
„mo studio, facile existimari potest,  
„quanto partim dolo, partim manife-  
„sta vi in Bavoriam irruere conentur  
„sectæ, quarum aliæ quidem aliqua di-  
„ligentia, autoritateque illustrissimi  
„Principis mei hæctenus repressæ sunt,  
„aliæ, nescimus, quo infelici Bavoriæ  
„fato, jam in ipsa viscera Bavoriæ, pe-  
„netrarunt, easque nunc (quod vehe-  
„menter dolendum) radices egerunt, ut  
„voto magis quam facto extirpari posse  
„censeantur. Superioribus annis ha-  
„bita est totius provinciæ tam in Cle-  
„ro, quam in populo de fide catholica,  
„& de honestate morum visitatio: in  
„fide autem, & in ipsa Religione no-  
„stra,

„stra, quot repertæ sint, & quantæ  
„hæreses, nimis longum foret, si omnes  
„deberent recenferi. Crassiores igitur  
„generatim perstringi possunt, cum u-  
„niversæ explicari non queant.

„Reperti sunt enim inter Parochos,  
„ceterosque Ministros Ecclesiarum,  
„quorum alii sunt Zwingliani, alii Lu-  
„therani, alii Flacciani, alii Anabapti-  
„stæ, alii, qui Manichæorum dogmata  
„renoyant, alii, qui Eunomianorum, alii  
„qui Jovinianorum, alii, qui aliorum deli-  
„ramenta, & errores sectantur, atque  
„propagant. Hæc catholicæ fidei no-  
„stræ zizania quoniam Prælati pullulan-  
„tia passim in ipsis herbis non extinxe-  
„runt, & jam mox adulta extirpare non  
„potuerunt, eo nunc res devenit, ut si quis  
„nunc hæc zizania eradicare conetur, me-  
„tuendum sit, ne bonum triticum con-  
„culcet, zizania tamen non evellat peni-  
„tus. Nam hujus pestis contagio non  
„modo in fece infimæ plebis, sed etiam  
„in penetralibus statuum, ac Reipu-  
„blicæ maxime autem nobilium, ac ci-  
„vium versatur, qui ita armis errore  
„corruptis, quotidie magis magisque  
„vici-

„vicinorum sectariorum commercio ob-  
„firmantur, ut foris cum adversariis non  
„occulte sentiant, domi vero nihil non  
„sedulo faciant, quod invehendis erro-  
„ribus percommodum fit, & sanctissimis  
„priscorum constitutionibus perniciosum,  
„ita ut quacunq; omnino ratione id  
„agant unum, ne locus amplius relin-  
„quatur sanæ, & catholicæ doctrinæ  
„tutus, aut integer: unde viri pruden-  
„tes quam difficilis sit, & quam pericu-  
„losa in istis Ducatibus gubernatio, fa-  
„cile judicare possunt.

„Huic autem malo magnam ansam  
„fuisse præbitam omnes homines sani  
„fatentur, cum a Clero, tum a populo:  
„quando hic nullum possit inter doctri-  
„nam, & doctorem discrimen cernere,  
„ille id sibi semper licere, quod libere  
„arbitraretur. Tametsi autem degene-  
„rantis populi malitia tanta est, ut per  
„se huic subsecutæ hæreticæ contagio-  
„ni abunde materiam dederit, tamen  
„dubium haud videtur, quin, cum Cle-  
„rus sal terræ esse debuerit, infatuatus  
„sit, nec ad eam rem, ad quam maxi-  
„me,

„me oportebat, utilis magnam in Clero  
„culpam hujus mali veritari omnes fa-  
„pientes oporteat confiteri: in visita-  
„tione nuper habita, quanta omnis ge-  
„neris flagitia in moribus Cleri com-  
„perta sunt: quanta socordia, & supi-  
„na negligentia, in quibusdam Proceri-  
„bus, seu Ecclesiarum Prælatiſ, aurium  
„pudore, ne manifestentur, prohibemur,  
„ipsa morum turpitudine efflagitat, ne  
„maneant diutius immendata. Atque  
„hæc si quis vellet figillatim, prout  
„per sese res ipsa habet, atque explo-  
„rate constat, enarrare, castis, piisque  
„Reverendissimorum Patrum auribus  
„omnino fieret molestum, aliis vero,  
„qui minus firmati sunt, ingens, pericu-  
„losumque offendiculum præberetur.  
„Quam ob rem Illustrissimus Princeps  
„meus hoc abunde satis existimat, si  
„vobis reverendissimis, & illustrissimis  
„Tridentini Concilii Legatis, atque Pa-  
„tribus saltem per occasionem insinua-  
„retur, ut duntaxat accuratissime vo-  
„biscum perpendatis, quam infructuosa  
„doctrinæ emendatio futura sit, nisi  
„prius Doctores, qui tanquam vasa do-  
„ctrina

„ctrinæ judicantur, ab omni forde, mo-  
„rumque foetore expurgati repræsenten-  
„tur populo. Omnes sapientes, peri-  
„tisque viri unanimi sententia hoc affe-  
„runt, hoc efflagitant penitus, ut prius  
„Clerus, Ecclesiarumque ministri, ac  
„Doctores a vitæ sordibus repurgen-  
„tur, quam ulla queat fructuosa do-  
„ctrinæ discussio, ac determinatio fe-  
„liciter inchoari, ac definiiri salutariter.  
„Deinde nec parvum momentum vide-  
„tur, quod hæc perniciosa contagio non  
„modo non cesset tam longo tempore,  
„sed subinde grandescat, etiam multis  
„variisque amplificata accessionibus,  
„quippe Clerus noster tantis Ecclesiæ  
„calamitatibus nullo modo neque affi-  
„citur, neque affligitur, sed multo ma-  
„gis insolescit, gulæ, libidinibusque in-  
„dulget, ac quasi velit in contem-  
„ptum Dei, hominumque omni genere  
„vitiatorum se coopertum potius palam  
„cognosci, quam minima aliqua in re  
„emendatum animadverti. Ut cetera  
„Cleri vitia, quæ cum populo com-  
„munia habet, taceantur. At certe li-  
„bido illa in Clero nimis libera, atque  
„notoria,

„notoria, propter quam is nunc potiffi-  
„me infamis est, ac plebe, irritatoque  
„populo alienissima esse judicatur. Si-  
„quidem politici magistratus nullum in  
„civili societate civem ferunt, qui pa-  
„lam scortetur, domique suæ quasi in  
„publico lupanari scorta fovere studeat.  
„In proxima visitatione per Bavariam  
„facta, tam frequens concubinatus re-  
„pertus fuit, ut vix inter centum tres  
„vel quatuor inventi sint, qui aut ma-  
„nifesti concubinarij non fuerint, aut  
„clandestina matrimonia non contraxe-  
„rint, aut uxores palam non duxerint.  
„Quæ morum turpitude in Clero ve-  
„hementer offendit imperiti populi ani-  
„mos tantopere, ut Sacerdotium una-  
„cum sacerdotibus execretur, dirisque  
„devoeat. Ita ut sit confestim para-  
„tus ad quamvis sectam exire potius,  
„quam redire velit ad Ecclesiam.

„Præterea nec pauci homines a no-  
„bis deficiunt ad sectarios ob utrius-  
„que speciei prohibitionem, cum arbi-  
„tremur de communione utriusque spe-  
„ciei expressum Dei verbum extare, de

*Hist. Eccles. Tom. XLVI.*

b

„una



una specie nullum reperiri. Huc accedit, quod utriusque speciei usus non modo in primitiva Ecclesia, sed etiam nunc in omnibus orientalibus Ecclesiis frequens est, & quidem celeberrimus: quin nec Romana Ecclesia olim ab eodem usu abhorruit, quemadmodum ex variis, diversisque historiarum monumentis edoceri potest. Nec sane id parum movet homines præsertim in Bavaria, quod Paulus tertius edita Bulla sua concessit Germaniæ Episcopis potestatem communicandi populum sub utraque specie. Quod quidem summi Pontificis decretum urgentissimi, & infimi, illustrissimumque meum Principem eam ob causam vehementer culpant, quasi (quod abest plane) divinam institutionem contra expressum Dei verbum invidet subditis suis: ea invidia, quoniam illustrissima sua Celsitudo vehementer gravatur, frequentius subditorum querelis apud alios Germaniæ Principes, odiumque hoc sui æque domi ac foris adeo subinde exasperatur, atque increbescit, ut plerique, quibus veloces pedes sunt

„sunt ad effundendum sanguinem nihil  
„expectent avidius, quam aliquam præ-  
„beri movendis tumultibus occasionem.  
„Hinc procul dubio reverendissimi, illu-  
„strissimi sacri Concilii Præsidentes,  
„atque Patres perspicuo vident, quan-  
„to in periculo versetur, Illustrissimus,  
„& Clementissimus Princeps, propter  
„cohibitionem utriusque speciei: ita-  
„que libere fatetur, nisi autoritate Tri-  
„dentini Concilii hisce malis, quæ a no-  
„bis commemorata sunt, salutaris me-  
„dicina primo quoque tempore adhi-  
„beatur, illustrissimam suam celsitudi-  
„nem nullo modo in tanta animorum  
„exacerbatione subditos suos regere  
„posse, atque in legitima obedientia con-  
„tinere aliter, nisi ut magno suo dolore,  
„& haud incerta sinceræ Religionis  
„jactura invitus aspiciat tandem, quod  
„prohibere solus nequeat.

„Quamquam vero, sicuti antea di-  
„ctum est, illustrissimus, & clementis-  
„simus Princeps meus hæc gravamina  
„eo animo non proponat sacro Concilio,  
„quasi præjudicium aliquod adferre,

b 2

„aut

„aut iudicium auferre velit, cum non  
 „ignoret, quid postulet officium secula-  
 „ris Christiani Principis, quem deceat,  
 „se obedientem Apostolicæ Sedis filium,  
 „& non iudicem controversæ religionis  
 „in Concilio exhibere. Quapropter  
 „cum hæc talis suspicio, procul a per-  
 „sona illustrissimæ suæ Celsitudinis sub-  
 „mota sit, tum illud non dedecere se  
 „arbitratur. Si saltem quid sibi hisce  
 „malis remedii salutariter adhiberi posse  
 „videatur, familiariter, & quasi consul-  
 „tandi gratia sacro Concilio insinuet.

„Primum igitur quantum attinet ad  
 „submovenda publica scandala Cleri,  
 „quibus imperitus populus permotus  
 „subinde, magis magisque efficitur a  
 „catholica Religione nostra alienior, il-  
 „lustrissima celsitudo sua putat huic com-  
 „muni morbo duobus remediis occur-  
 „ri posse. Quorum prius ut Clerus  
 „juxta antiquos Canones reformetur.  
 „Alterum, ut Prælati dent operam e-  
 „rigendis domesticis scholis, & ampli-  
 „ficandis publicis academiis. Refor-  
 „mare mores Cleri sæpius a diversis  
 „Ger-

„Germaniæ Episcopis tentatum est pa-  
„rum feliciter, ac sine omni fructu:  
„quemadmodum re ipsa compertum est,  
„cum tam ardua negotia non tam sin-  
„gulorum Præfulum autoritas, quam  
„consensio uniuersorum rectissime, uti-  
„lissimeque expediat, dum alii ne suos  
„capitulares Confratres offenderent,  
„connivere visi sunt: alii, si quid tenta-  
„runt (ut fecerunt certe quidam opti-  
„mi Antistites) nihil tamen efficere id-  
„circo potuerunt, quod Episcopi ceteri  
„idem non versati sunt reformandi in-  
„stitutum. Quocirca existimationem  
„privatam reformationis operam inu-  
„tilem fore, & infructuosam, nisi eo  
„accesserit Generalis Concilii authori-  
„tas, ac legitima executio decretæ re-  
„formationis.

„Nec vero ignorat Illustrissimus  
„Princeps, quod a plerisque ne serua a-  
„liqua morum repurgatio suscipiatur,  
„objici solet. Cum verendum sit, si  
„Clerus ex rigore antiquorum Cano-  
„num reformari debeat, fore omnino,  
„ut plerique omnes præsertim Paro-  
„chi,

„chi, Parochiarumque ministri (qui fere  
„omnes concubinarij sunt) suas Eccle-  
„sias deserant, & confugiant ad Secta-  
„rios, ubi concubinas liceat in uxores  
„sumere, & unumque ex libertate  
„carnis, ita, sicuti velit, vivere. Ne-  
„gari haud potest, quin hæc omnia in  
„malis sacerdotibus expectanda sint,  
„in bonis autem nullo modo. Verum  
„utcumque hoc metuendum videatur,  
„non defuit tamen olim, nec nunc deest  
„huic malo nodo congruens cuneus.  
„Nam diligentem operam impendere  
„Antistites debebant, educando Eccle-  
„siasticæ juventutis seminario, & quo  
„in locum eorum, qui vel apostasia  
„abrepti, vel morte defuncti essent, re-  
„stitui possent. At enimvero hæc ne-  
„cessaria diligentia cum neglecta est,  
„atque hinc ista honesti Cleri inopia e-  
„mersit: imprimis necessarium videtur,  
„ut summo studio sacrosancta Synodus  
„Tridentina legitimum aliquem modum  
„excogitet, quo inopia Cleri auferri  
„possit, copia restitui. Multæ enim  
„adhuc sunt in catholicorum Princi-  
„pum territoriis opes: quarum aliæ  
„in

„in continua simonia versantur: aliæ  
„tenentur ab hominibus indoctis, im-  
„puris, mutilibus; aliæ etiam per frau-  
„dem eorum, qui bona vel maxime  
„tueri debuerant, extinguuntur pas-  
„sim ab Ecclesiis alienatæ, & transla-  
„tæ in usus profanos. Nec dubium  
„est, quin si hæc Ecclesiastica bona in  
„certum ordinem redigerentur, posse  
„inde selectum aliquem, & copiosum  
„Ecclesiastici Seminarii in juventute  
„plantari coetum, & ex eo coetu sub-  
„inde, ubi necessariae, utilesque perso-  
„næ requirerentur, tanquam ex instru-  
„cta officina catervatim depromi. At-  
„qui vero si hac via collabescenti Ec-  
„clesiæ occursum non fuerit, timendum  
„prorsus, ne aliquando catholicos, tam  
„vi sectariorum expugnatos esse, quam  
„domesticis copiis destitutos periisse,  
„conqueri oporteat.

„ Quapropter illustrissimus Prin-  
„ceps amice, submissequè admonet, si  
„Concilio Reverendissimos, ac Illustris-  
„simos Dominos Legatos, ceterosque  
„Patres ut hanc rem sibi velint impri-  
„mis

„mis esse curæ, ne posthac tanta edu-  
„candæ juventutis negligentia Prælati-  
„mittatur. Sperandum enim ma-  
„gnopere, mirabiliter suas Ecclesiæ vi-  
„res pedetentim restitui posse, si sedulo  
„operam navaremus erudiendæ copio-  
„sæ juventuti, & ornandis fovendis-  
„que piis, ac doctis hominibus, qui  
„Ecclesiam doctrina adversus hæreses  
„tueri queant, & submovendis inutilibus,  
„flagitiosisque sacerdotibus, qui suis  
„moribus turpissimis Ecclesiam vehe-  
„menter deformant, & sua inscitia la-  
„befactant non mediocriter. Illustris-  
„simus vero Princeps meus quid gra-  
„vissimis sumptibus & perpetuo studio  
„hac in re conatus sit, referre jactanter  
„minime cœpit: testes autem habet  
„quamplurimos tam eos ipsos, quos li-  
„beralissime etiamnum fovet Doctores,  
„professoresque, atque Sacerdotes,  
„quam vicinos, provincialesque Episco-  
„pos, & alios etiam catholicæ religio-  
„nis amantes.

„Ceterum existimant plerique viri  
„rerum Germanicarum periti, tale nunc  
„esse

„esse in Germania sæculum, quasi quam-  
„dam occultam naturæ vim, quæ non  
„modo omnes libidinosos, sed etiam  
„moderatos, vereque catholicos eo per-  
„duxit, ut plerique omnes castum ma-  
„trimonium contaminato cœlibatui  
„præferendum arbitrentur. Quam ob  
„rem animadvertitur passim præclara  
„ingenia, doctissimosque homines duce-  
„re uxores malle, ut careant Ecelesia-  
„sticis beneficiis, quam Ecclesiastica be-  
„neficia acceptare, & carere uxori-  
„bus. Videlicet cum videant reliquam  
„Cleri multitudinem gulæ, libidinum-  
„que flagitiis coopertam, magno detri-  
„mento esse, ac dedecori catholicæ Re-  
„ligioni, ne ipsi in hoc contamina-  
„tionis grege versari cogantur, eorum-  
„que videri cõsimillimos. Hinc ete-  
„nim doctorum hominum in Clero pe-  
„nuria extitit, hinc Cleri detestanda in-  
„scitia traxit originem, hinc hæretici  
„sumpserunt vires, Ecclesia vero debi-  
„litata est. Periti igitur, qui pressius  
„hæc negotia, accuratiusque discusse-  
„runt, existimant quod ab sublevandam  
„penuriam docti, idoneique Cleri vix  
b 5 „ alia



„alia ratione præsertim hac ætate nostra  
„in Germania Clerus instaurari, ac sal-  
„tem ob obeunda necessaria Ecclesiæ  
„munera satis frequens haberi queat, ni-  
„si more primitivæ Ecclesiæ docti ma-  
„riti, & ad docendum instructi admit-  
„tantur ad sacros Ordines, præsertim  
„vero ad prædicandum, & amplifican-  
„dum populo verbum Dei. Legis e-  
„nim divinæ cum non sit, ut oporteat  
„hominem Sacerdotem esse cœlibem,  
„siquidem constet ex veterum monu-  
„mentis, atque historiis, maritos sacris  
„Ordinibus initiatos esse, & non modo  
„ad sacerdotii dignitatem, sed etiam ad  
„sublimitatem Episcopi pervenire: qua-  
„propter hanc rem videri ejusmodi esse,  
„cum qua jus divinum non sit, ut San-  
„ctissimi Domini Nostri, sacrique Con-  
„cilii autoritas possit ex instinctu divi-  
„no id statuere pro necessitate laboran-  
„tis Ecclesiæ, quo status Cleri instau-  
„rari queat, ac vires sectariorum in-  
„firmari. Verum hoc non aliter in  
„Concilio proponi jussit illustrissimus  
„Princeps meus, nisi ut Reverendisimi  
„Patres Germaniæ morbos tanto dili-  
„gen.

„gentius inspicere queant, & quid re-  
„medii salubriter adhibendum judicent,  
„opportuno loco, & tempore consti-  
„tuere.

„Postremo vero quia fuit hoc con-  
„siliū statim ab initio hujus exortæ  
„dissensionis piorum, doctissimorumque  
„hominum, ne tantopere ob unius, al-  
„teriusve speciei usum tanta certamina  
„instituerentur, ipso rei eventu animad-  
„versum est, quod pleræque provinciæ  
„in Germania in obedientia Sedis Apo-  
„stolicæ retineri potuissent, ab omni reli-  
„qua sectariorum labe immunes, si mo-  
„deratio quædam in re, natura sua in-  
„differente, admissa fuisset. At vero  
„cum populus utriusque speciei usum,  
„quasi ex divina institutione sibi deberi  
„arbitraretur, cumque vicissim is usus a  
„Prælatiſ constanter denegaretur, surre-  
„ptiſ sectarum duces eam occasionem  
„nacti sub prætextu divinæ institutio-  
„nis, & concepto odio irati populi, non  
„solum hoc sanctæ Eucharistiæ Sacra-  
„mentum penitus profanarunt, sed etiam  
„sub eodem prætextu diversa hære-  
„sium

„fium femina longe lateque adeo effica-  
„citer disperferunt, ut nunc occasione  
„utriusque speciei non modo populi  
„Germaniæ, sed & reliquæ nationes  
„instar torrentis ab Ecclesia catholica  
„defluere videantur. Ut autem hæc  
„ista tam frequens defectio, tamque fer-  
„vens decursus saltem inhiberi aliquo  
„modo possit, prudentium virorum ju-  
„diciū est, si Sanctissimus Dominus  
„Noster ex plena potestate Sedis Apo-  
„stolicæ, & ex iudicio Sancti Triden-  
„tini Concilii Laicis utriusque speciei  
„communem benigne largiretur, fo-  
„re, ut qui hæctenus Sedi Apostolicæ  
„obedientes remanserint, in posterum  
„quoque obedientes permanfuri, ac si  
„qui leniter deflexerint, ad obedientiam  
„reversuri existimentur, quemadmodum  
„in nonnullis cognitum est, qui ex  
„indulgentia Pauli tertii compotes de-  
„votionis suæ facti essent, reversi sunt  
„ad Ecclesiam.

„Cum igitur hæc tria, turpis vita  
„Cleri, concubinatus Sacerdotum, &  
„prohibitio utriusque speciei princi-  
„pales

„pales causæ sunt, cur tanto odio Ca-  
„tholicorum, tantoque studio novitatis  
„populi, rationesque ab obedientia A-  
„postolicæ Sedis resiliant, conferant-  
„que se ad diversos Sectarum Duces,  
„periti sane Catholici viri arbitrantur,  
„nullis aliis præsiidiis hoc tempore po-  
„pulum studio novitatis tumescentem,  
„ne sensim in manifestam defectionem  
„prorumpat, in obedientia Sedis Apo-  
„stolicæ retineri posse, quam si ad  
„submovendos vitiosos Sacerdotes ido-  
„neus Clerus ex instauratis Scholis co-  
„piose educaretur: ad tollendum tur-  
„pem concubinatum castis maritis sacri  
„Ordines, concionandique imprimis fa-  
„cultas conferrentur: ad placandos irri-  
„tati populi animos utriusque speciei  
„usus permetteretur. Quia vero du-  
„bium non est, etiamsi hæc tria ex qua-  
„dam catholicæ Matris Ecclesiæ indul-  
„gentia per auctoritatem præsentis  
„Concilii rite ordinarentur, tamen Se-  
„ctarios Duces, seductosque populos  
„idcirco ad Ecclesiam non reversuros  
„esse, cum palam editis libris non du-  
„bitent obfirmare sese, quod nunquam  
„velint

„velint Romanis Pontificibus ullam obe-  
„dientiam præstare, itaque non vult Il-  
„lustriſſimus Princeps meus hanc suam  
„ſententiam ſic accipi, quaſi illis tribus  
„conceſſio putet hæreticos poſſe ad  
„Eccleſiam reduci, ſed eam eſſe multo-  
„rum piorum hominum opinionem,  
„quod iſto modo catholici populi reli-  
„quæ in Germania confirmari, atque,  
„retineri aliquo modo poſſint, cum hoc  
„tempore non tam neceſſarium videat-  
„tur, ut refutentur adverſarii, quam ut  
„queant fulciri domesticæ ſummæ no-  
„ſtræ: quæ nunc non minus domi-  
„graves ſunt, quam foris adverſariorum  
„machinationes. Atque hoc illi, qui e-  
„nodatius præſentis Eccleſiæ ſtatum  
„ad limam ducunt, eo interpretantur,  
„ut opinentur, in præſenti Concilio Tri-  
„dentino nihil prius ducendum eſſe,  
„quam ut ante omnem cujuſvis dogma-  
„tis explicationem, neceſſario præce-  
„dere debeat ejuſmodi morum in catho-  
„tholico Clero, rebusque Eccleſiaſticis  
„(de quibus paulo ante facta mentio)  
„reformatio: ut cum perſonæ Clerica-  
„les priſtinæ innocentis vitæ ſuæ testi-  
„mo-

„monium vulgo receperint, tandem ma-  
„jori, apud populum authoritate, ac fide  
„id possint, quod in catholica fide no-  
„stra verum est, constanter docere, quod  
„falsum, refellere. Nec est ullus per-  
„suadendi modus, quo Clerus populo  
„reconciliari potest, & audientium sibi  
„parare aditum, nisi palam constet, an-  
„terioris vitæ inquinamenta abjecta  
„esse, atque purioris vitæ documenta  
„palam exhibeantur. Quocirca omne  
„Tridentini hujus Concilii studium pror-  
„sus inane futurum creditur, nisi omnis  
„hujus mali origo, acque scaturigo,  
„quasi in ipso fonte, hoc est, in Clero  
„eluat, atque repurgetur, quo melio-  
„re auspicio repurgati fontis origo, in  
„reliquos universæ Ecclesiæ rivulos de-  
„duci posse, vulgo cognoscatur. Po-  
„stea vero, cum talis facta reformatio:  
„cum etiam honestioris Cleri atque do-  
„ctioris suppeditata est copia: cum  
„turpem concubinatum Sacerdotes de-  
„posuerunt, receperuntque vicissim sui  
„licitam medicinam a Concilio suppedi-  
„tatam sive constantem spontanei voti  
„observantiam: cum etiam populus ad-  
„huc

„huc Apostolicæ Sedis autoritate  
„non prorsus exauctoratus, de commu-  
„nitione utriusque speciei mediocriter  
„placatus existimatur, tunc denique tem-  
„pus erit, cum omnia nostra domi sint  
„confirmatoria, ut de dogmatibus inea-  
„tur aliqua solidior disceptatio adver-  
„sus hæreses. Qualis autem & quæ  
„hæc disceptatio cum fructu catholi-  
„cæ Religionis suscipi possit, Illustris-  
„simus Princeps meus solus non scit  
„fortasse optime, sed intelliguntur pio-  
„rum hominum, & catholicorum hac de  
„re non inanes voces haud obscure.  
„De qua etiam si suæ quoque Illustris-  
„simæ Celsitudinis opinio aliquando re-  
„quiratur, posset ea qua aliquo modo  
„explorata sunt, non importune refer-  
„re. Verum hoc tempore quando hoc  
„tantum est propositum Legationis Il-  
„lustrissimæ Celsitudinis nihil aliud vel-  
„le in medium Concilii per me afferri  
„nisi ut cogitetur, non tam quomodo  
„vel refutari sectarii queant, quod du-  
„rum est, vel reduci, quod multo ma-  
„gis dubium, sed potius quomodo hæ-  
„afflictæ catholici populi reliquiæ pos-  
„sint

„sint corroborari, stabiliri, atque redu-  
 „ci ad meliorem Ecclesiæ statum. Non  
 „enim videtur satis opportunum velle  
 „omni conatu adversæ Religionis co-  
 „pias invadere, & non prius omne stu-  
 „dium impendere, ut ante omnia no-  
 „stræ vires recte domi constitutæ sint,  
 „& ita quidem confirmatæ, ut tam sin-  
 „gulæ quam universæ, universis ac sin-  
 „gulis contrariis possint opponi feli-  
 „citer.

„Reverendissimi autem, Illustris-  
 „simique sacri Concilii Legati, ceteri-  
 „que Patres, hanc illustrissimi, & ca-  
 „tholicissimi Principis mei qualemcun-  
 „que suggestionem, forsitan non satis  
 „elaboratam, amicam tamen, benevolen-  
 „tissimamque suapte natura boni con-  
 „sulent. Constanter enim sperat, ni-  
 „hilque penitus dubitat illustrissima sua  
 „Celsitudo eidem sacrosanctæ Tridenti-  
 „næ Synodo hanc suam devotissimam  
 „juvandæ Ecclesiæ deliberationem si  
 „non inservire commodissime, ulterius  
 „tamen de gravissimis istis Ecclesiæ af-  
 „flictionibus cogitandi materiam & oc-

*Hist. Eccles. Tom. XLVI.*

c „caso-



„caſionem ſubminiſtrare poſſe. Deum  
„enim ſummum teſtatur, nihil eſſe eo-  
„rum omnium per me propoſitorum,  
„quæ ipſe temere abſque conſilio ſibi  
„expetat, ac non potius extrema eſſe  
„Reipublicæ Chriſtianæ adhibenda re-  
„media putet. Ad illum ipſum illuſtris-  
„ſimum & piſſimum Principem meum  
„quod attinet, ita firmiſſime animo  
„propoſitum habet, cumque Dei beni-  
„gnitate avitis in Religione, & doctri-  
„na catholica veſtigiis fortiter inſiſtat,  
„nihil exiſtimat tam neceſſarium, tam-  
„que pium vitæ ſuæ munus, quam id  
„pro virili efficere, & obtinere, ut ii,  
„quos regendos, tutandosque Deus illi  
„commiſit, perpetuo ſecum habeant  
„recte, orthodoxe, & catholice creden-  
„di, pieque ſecundum inſtituta Patrum  
„vivendi, commoditatem. Gratiffimum  
„vero quovis tempore illuſtriſſimæ  
„ſuæ Ceſſitudini futurum eſt, ſi quæ  
„hucusque in Religionem catholicam  
„præſtitit, libentiſſimo ſane animo officia  
„auctiora poſthac, & cumulatioſa ingen-  
„ti ſubditorum, ac patriæ fructu, redde-  
„re illa ratione poterit. Dixi.

Post-

Postquam igitur hic Baviaræ Ducis Orator suam abfolverat orationem, paulo post Synodus eo tempore, quo hic idem admittebatur, his verbis eidem respondit:

„Excellens Doctor, & Magnifice  
„Domine Orator, in magna expecta-  
„tione sancta Synodus usque ad hanc  
„diem fuit, ut aliquis ex nobilissimis  
„Germaniæ Principibus ad hoc sacrum  
„Concilium accederet, & sua præsen-  
„tia eam pietatem in catholicam Eccle-  
„siam declararet, quæ imprimis a Prin-  
„cipibus viris expectari debet: vel si  
„ipsi gravioribus negotiis impediti ad-  
„esse non possent, Oratores suos mitte-  
„rent, qui optimam illorum volunta-  
„tem profiterentur, inter ceteros autem,  
„a quo omnia pietatis officia sancta  
„Synodus expectanda esse semper ex-  
„istimavit, Excellentissimus, & Illustris-  
„simus Dominus Albertus Baviaræ Dux  
„extitit: qui veram, & catholicam Re-  
„ligionem a clarissimis, & nobilissimis  
„Majoribus suis traditam, tanta fide, &  
„constantia conservavit, ut hisce mise-

„ris temporibus in tota Germania fir-  
„missimum sanctæ Apostolicæ Eccle-  
„siæ propugnaculum jure optimo ha-  
„bendus sit. Cum igitur graves ra-  
„tiones prohibuerint, quo minus ipse  
„huc accederet, suumque egregium a-  
„nimum sanctæ Synodo coram decla-  
„raret: quod quidam eum præstitu-  
„rum esse, si per alias occupationes si-  
„bi licuisset, dubitare non potest, sum-  
„ma lætitia affecta est, cum virum o-  
„ptimis artibus præditum suæ volun-  
„tatis testem, ac veluti obsidem huc  
„ablegarit. Sperat enim fore, ut ejus  
„auctoritas nunquam defuisse videatur  
„ad ea peragenda, quæ sanctam Dei  
„Ecclesiam quacunque ratione juvare  
„poterunt. Quod igitur reliquum est,  
„te Magnifice Orator, sancta Synodus  
„benigne accipit, mandatumque tuum,  
„prout juris est, libenter admittit: da-  
„turaque est operam (quod quidem ha-  
„ctenus diligenter, & sedulo curavit)  
„ut ea omnia pie & religiose consti-  
„tuantur, quibus Dei cultus magis am-  
„plificari, & fidelium salutem, ac tran-  
„quillitati commodius consuli posse, af-  
„flan-

„flante Spiritu Sancto, qui optimorum  
„consiliorum auctor est, judicarit.

Ceterum ex oratione hac rursus fat  
manifestum fit, quod ipsemet piissimus  
Bavariæ Dux nec Calicis usum, nec  
nubendi facultatem ex suo arbitrio pe-  
tierit, aut alterutrum ad tollendas cor-  
ruptelas, vel hæreticos ad Ecclesiæ si-  
num revocandos optimum esse me-  
dium judicaverit, sed unice suorum  
importunitate impulsus rem Synodo pro-  
poni curarit, Patrum iudicio relinquens,  
an pariter & ipsi, sicut ejus Proceres,  
utramque hanc licentiam conducere ar-  
bitrentur, vel potius æque ac Bavariæ  
Antistites ejusmodi concessionem aver-  
sarentur; nil enim magis antiquum ha-  
buit pientissimus hic Princeps, nisi ut  
in rebus fidem atque Ecclesiæ discipli-  
nam spectantibus consilium & senten-  
tiam ab iis, quibus de ejusmodi nego-  
tiis definiendi potestas tradita est, ex-  
peteret, etsi forte ex aliorum consilio,  
solicitationibus atque importunitate  
non nunquam quædam veluti extrema  
Reipublicæ Christianæ adhibenda reme-  
dia

dia reputaret. Eapropter haud abso-  
 ne hanc in rem adducendum censeo  
 sæpius laudati Historiographi judi-  
 cium atque animadversionem, quam i-  
 pse in præfatam orationem his verbis  
 proposuit: „Albertus longe obse-  
 „quentior Legatum misit ad Conci-  
 „lium, Augustinum Baumgartnerum,  
 „cui adjunxit Joannem Cavillonium e  
 „Societate Jesu sacrarum literarum In-  
 „golsstadii interpretem. Per eos dedit  
 „ad sacrum Conventum literas, quæ  
 „die vigesima septima Junii in publico  
 „Patrum Senatu recitatæ fuerunt, &  
 „benignis auribus auditæ; quod sin-  
 „gularem, optimi Principis pietatem, &  
 „in Ecclesiæ Præsules reverentiam te-  
 „starentur. Eodem illo die Baum-  
 „gartnerus luculentam habuit ad Pa-  
 „tres orationem, qua Alberto mentem,  
 „& suæ legationis capita explicavit.  
 „Ea fuerunt tria potissimum. Discipli-  
 „næ Ecclesiasticæ, morumque orbis  
 „Christiani emendatio, incontinentium  
 „Sacerdotum conjugia: Sacræ Syna-  
 „xis sub utraque specie communio.  
 „Atque hæc quidem Albertus sic vo-  
 „luit

„luit Concilio proponi, ut non disce-  
 „ptatoris, aut iudicis partes sibi su-  
 „meret, sed omnino vellet esse in Con-  
 „cilii auctoritate, ac fide, quidquid de-  
 „mum divino instinctu Patres decerne-  
 „rent, quemadmodum deceret Princi-  
 „pem sæcularem, cujus non sit leges  
 „Ecclesiæ dare, sed datas accipere, &  
 „servare, quem tamen non dedecet  
 „morbos ostendere, & remedia a sa-  
 „pientissima Matre expectare. Ergo  
 „primum omnium ostendit Alberti Ora-  
 „tor, non esse Boicam usque eo a com-  
 „muni Germaniæ forte intactam, ut in  
 „nupera disquisitione reperti fuerint  
 „inter animarum curatores, ceterosque  
 „Ecclesiarum Administros, aliqui Zwin-  
 „glio, alii Luthero, alii Illyrico Flac-  
 „cio, alii etiam Manichæorum errori-  
 „bus clam addicti: immo fuisse, qui se  
 „Eunomianos, & Jovinianos ex suis  
 „deliramentis proderent. Hæc mala  
 „non in plebis duntaxat, sed etiam No-  
 „bilitatis viscera penetrasse, atque in-  
 „dies magis, magisque vicinorum con-  
 „tagione firmari, idque ex morum cor-  
 „ruptela, quæ Sacerdotum pravis ex-  
 „emplis

„emplis sic migravit in populos, ut ni-  
„hil credant inhonestum, aut dignum  
„supplicio, quod ab honestissimo Ec-  
„clesiæ Ordine cernunt impune patrari.  
„Quibus Laicis cura sit & amor ho-  
„nestatis, eos sic ratiocinari, ut, cum in-  
„ter Doctores ac doctrinam non sta-  
„tuant discrimen, illico existiment, ni-  
„hil docere boni, qui tot mala invere-  
„cunde admittunt. Sale infatuato, dif-  
„ficile esse, incorrupta bene condiri,  
„luce obnubilata, non posse fatis lucu-  
„lenter ad simpliciorum, aut perverso-  
„rum captum, obscura illustrari: vasa,  
„unde divina propinantur, ab omni  
„morum colluvie expurgari oportere.  
„Addidit quædam sigillatim, quæ osten-  
„debant plebem pleramque a quorum-  
„dam Clericorum moribus, & institu-  
„tione haud parum esse alienam, pa-  
„ratamque sectam quamlibet potius am-  
„plecti, quam suam salutem credere  
„hominibus usque eo depravatis.  
„Cum vero inter multorum Sacerdo-  
„tum nævos libido foedisima Laico-  
„rum animos vehementer offenderet.  
„nec

„nec viderentur aliqui posse ab in-  
„concessis amoribus avelli, nisi in-  
„continentibus fieret honesti conjugii  
„potestas, petiit a Patribus, vellent  
„expendere, satiusne foret effrænatam  
„licentiam severitate legum, an vincu-  
„lis matrimonii coerceri. Tertium  
„de communione sic tractavit, ut satis  
„appareret, plebem novatorum voci-  
„bus incantatam, calicis usum expo-  
„scere, ceteroqui haud gravate in re-  
„liquis sacrorum ritibus, Patrum judi-  
„cio cessuram. Certe ea tempestate  
„vulgo erroneus sensus erat, immo &  
„quorundam supra vulgus perperam  
„sapere volentium, matrimonii sancti-  
„tatem, contaminato cœlibatui præ-  
„stare, & non satis cœnare, qui cali-  
„cem non biberet. His vocibus per-  
„strepebat aula Cæsaris pariter, &  
„Alberti, aliorumque Principum: i-  
„sta libere jactabantur in circulis, ut  
„vix esset, qui auderet refellere, tan-  
„ta erat invidia contra sentientium.  
„Unus Canisius obniti ausus est tam-  
„etsi adversariorum numero pene ob-



„rueretur. Ceterum Tridentini Pa-  
„tres Baumgartnero sic responderunt,  
„ut pateret, ejus adventum, & oratio-  
„nem non displicuisse.”

Ex hujus Scriptoris testimonio  
satis aperte eruitur sincera Serenis-  
simi Principis mens, atque  
immota illius Ortho-  
doxia.



CON-